


epicycli MN simul. Moueatur iam eccentrici apogeu[m] in præcedentia, quantum epicyclus in consequentia, ambo æqualiter circa E reuolutionibus æqualibus & mensuris ad medias Solis coniunctiones uel oppositiones, & AEC linea mediij loci Solis inter illa semper media sit, Lunaq[ue] rursus in præcedentia ex apogeo epicycli. His em̄ sic cõstitutis cõgruere putant apparentia. Cũ enim epicyclus in semestri tempore à Sole quidẽ semicirculũ, ab apogeo autẽ eccentrici totam cõpleat reuolutionem, consequens est, ut in medio huius temporis, quod est circa Lunã diuiduam è diametro BD inuicẽ opponantur, & epicyclus in eccẽtro fiat perigeus, ut in G signo: ubi propinquior terræ factus maiores efficit inæqualitatis differentias. Æquales enim magnitudines inæqualibus expositæ interuallis, quæ oculo propinquior, maior apparet. Erant igitur minimæ, quando epicyclus in A fuerit, maximæ uero in G . Quoniam minimam habebit rationem MN diametens epicycli ad AE lineam, maiorẽ uero ad GE cæteris omnibus, quæ in alijs locis reperiuntur, cum ipsa GE breuissima sit omnium, & AE siue æqualis ei DE , eorum longissima quæ à centro terræ in eccentricum circulum possunt extendi.



De earum assumptionum defectu. Cap. II.

Talem sanè circulorum compositionem tanquam cõsistentem lunaribus apparentijs assumpserunt priores. Verum si rem ipsam diligẽtius expendimus nõ aptam fatis nec sufficiẽtem hanc inueniemus hypothesim. Quod ratione & sensu possumus comprobare. Dum enim fatentur, motum centri epicycli æqualem esse circa centrũ terræ, fateri etiam oportet inæqualẽ esse in orbe proprio, quẽ describit, eccentro. Quoniam si, uerbi gratia, AEB angulus sumatur partium XLV . hoc est dimidius recti, & æqualis ipsi AED , ut totus BED rectus fiat, capiaturq[ue] centrum epicycli in G ,

B iij & con